



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

83. Quando exs homicidio casuali incurratur obligatio restitutionis? Et in
textu hujus resolutionis adducuntur aliqui casus in exemplum supradictae
difficultatis, ex quibus oritur ultima difficultas, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76432)

RESOL. LXXX.

An homicida ex iustitia teneatur pro anima defuncti offerre Missas, preces, &c. Ex part. 5. tr. 4. Ref. 60.

§. 1. **A**ffirmatiue respondet Scotus in 4. dist. 15. q. 3. Gabriel *ibidem* q. 15. art. 1. in fine Iul. Clar. in *pract. crimin. lib. 5. §. Homicidium* ver. teneatur etiam. Rolandus à Valle *lib. 2. cons. 39*. Aragon in 2. 2. q. 62. art. 2. Fernandez in *Exam. part. 1. cap. 14. §. 1. num. 19*. Adrianus in 4. de *rest. quest. ult. Molina tom. 4. tract. 3. disp. 84. m. 11*. Rebellius *part. 1. lib. 3. q. 14. n. 6*. & alij: vbi docent satisfactionem iniuriæ personalis fieri posse per iustitia pro occiso, & ad hoc homicidam non solum teneri ex charitate, sed ex iustitia.

2. Sed contra est, quia nemo tenetur dampnum refarcire ex bonis diuersi generis ac ordinis, si in eodem non possit, quia solum bona eiusdem generis ac ordinis inter se commensurari possunt, secundum proportionem dati & accepti; sermo enim est de restitutione, siue compensatione damni per iustitiam commutatiuam. Et hæc docet Becanus *de iust. & iure in 2. 2. D. Th. q. 13. de rest. concl. 12*. Strouersdorff *de iust. & iure in 2. 2. D. Th. q. 78. disp. vnic. n. 29. concl. 2*. Azorius *p. 3. lib. 5. c. 3. q. 12*. Filiucius *tom. 2. tr. 3. c. 8. n. 20*. Layman in *Theol. moral. lib. 3. sect. 5. tract. 3. p. 3. c. 6. n. 1*. qui bene addit in foro interno decere Confessarium pro satisfactione sacramentali imponere homicidæ preces, sacrificia, &c. animæ occisi applicanda.

RESOL. LXXXI.

An homicida sit compellendus restituere, licet ex restitutione constituatur in graui necessitate?
Et quid, si homicida constituatur in extrema necessitate?
Et quid est faciendum, si heredes occisi essent etiam in graui necessitate? Ex part. 5. tr. 4. Ref. 62.

§. 1. **A**ffirmatiue respondet Martinus Ledesma in 2. part. 4. qu. 18. dub. 2. art. 2. vbi docet in tali casu homicidam compellendum esse ad restitutionem, modo non constituatur in extrema necessitate.

2. Sed ego contrarium teneo cum Soto *de iust. lib. 4. q. 6. art. 3. in solut. ad 3*. Cordub. *lib. 1. q. 31. art. 3*. & Sanch. in *opusc. tom. 1. lib. 1. c. 4. dub. 7. n. 2*. quia non tenetur cum tanto dispendio restituere quod limitatur, nisi heredes occisi essent etiam in graui necessitate.

RESOL. LXXXII.

An heredes homicidæ excusentur à restitutione, si ille capite damnatus est? Ex part. 5. tr. 4. Ref. 60.

§. 1. **N**egatiue respondet Sanchez in *opusc. tom. 1. lib. 1. c. 4. dub. 2. nu. 2*. Mercatus *de contron. lib. 6. c. 6*. Gordonus *tom. 1. lib. 5. q. 4. c. 4. n. 17*. Malderus *de iust. & iure in 2. 2. D. Thom. tract. 3. cap. 3. dub. 5*. Azorius *tom. 3. lib. 5. c. 3. q. 6*. Petrus Nauarrus *de rest. lib. 4. c. 1. n. 91*. Couart. *lib. 2. var. cap. 10. num. 7*. Gomez *tom. 3. c. 3. n. 3*. quia pœna infligitur à iudice non vt dampnum parti lætæ compensetur, sed vt iniuria Republicæ & legibus illata vindicetur, alijque terror incutiat. Et si hæc opinio esset vera, hoc onus ad filium etiam transferret, quamuis Iul. Clar. in *pract. lib. 5. §. Homicidium n. 23*. queratur hoc male in *pract. feruari*.

2. Verum ego puto cum Lessio *lib. 2. cap. 9. dub. 22*.

num. 139. affirmatiuam sententiam probabilem esse, quam videtur docere Scotus in 4. dist. 15. quest. 3. art. 2. Idem docet Gabriel *ibidem* q. 15. art. 2. Roella *ver. restitutio* 3. Angelus *eodem* ver. 1. §. Homicida. Adrianus *quest. ult. de restit.* & Dominicus Bannez *de iust. & iure in 2. 2. D. Th. q. 62. art. 2*. quia capitis sententia compensat omnem iniuriam & dampnum homicidij. Et præsertim hæc sententia erit amplectenda, vt tenet Becanus *de iust. & iure in 2. 2. D. Th. q. 10. de restit. concl. 2*. quando hæres occisi nihil pro satisfactione damnorum exigit; ita enim ferè habet vñus, vt pœna talionis censetur acquiescere. Et in hoc casu ego pœtorius nullum imponerem onus restituendi. Notandum est tamen hic cum Aragonio in 2. 2. q. 62. art. 2. & Fernandez in *Exam. Theolog. moral. part. 1. c. 14. §. 1. n. 16*. quòd stando in prima opinione, intelligenda est quando bona damnati ad hortem peruenerunt ad heredes, non successione hæreditaria, sed libera legatione.

RESOL. LXXXIII.

Quando ex homicidio casuali incurrat obligatio restitutionis?

Et in textu huius Resolutionis adducuntur aliqui casus in exemplum supradictæ difficultatis, ex quibus oriuntur vltima difficultas, scilicet, ex quam culpa, hoc est, ex quam negligentiâ non adhibita in prædictis casibus homicidij casualis oriatur obligatio restitutionis, an ex negligentiâ, & culpa lata, non leuissima, vel leui; vel an in dicto casu restitutio sit minus facienda; quam si homicidium fuisset ex industria admissum. Ex part. 5. tract. 4. Ref. 46.

§. 1. **R**em hanc clarè, breuiter, & doctè, vt semper solet, explicat Lessius *de iust. lib. 1. cap. 9. dub. 15*. vbi sic ait. Primò quando causa non erit efficax, ita vt ex ea non soleat vltimum talis effectus sequi, sed aliunde, nempe ex eo quod per accidens coniungitur, vt si alicui inflexisti vulnus non lethale, sed mors sequuta est, vel malicia, aut negligentia Medici, vel ex iniuria infirmi, hæc occiso censetur tibi fortuita, vnde nõ eris reus homicidij, nec teneberis ad restitutionem vt homicida, sed solum vt vulnerans; secus tamen si eo loco non erant Medici, & læsus debitam diligentiam adhibuit, tali enim loco, & tempore vulnus illud censetur lethale. Secundò si dans operam non solum rei licitæ, sed etiam illicitæ, adhibuisse sufficientem cautionem, ne inde aliquid incommodi sequeretur, tunc enim etiam fortè sequuta sit mors alicuius, non tibi imputanda est, quia nec in se, nec in causa talis mors est volita. Nec obstat, quòd causa fuerit periculosa, ac proinde mors illa videtur volita in causa, quia diligentia antea adhibita absterfit omne periculum, & ideo in tali casu nulla adest culpa homicidij, vel obligatio restitutionis. Hinc infertur Clericos, chirurgos, & venatores si casu interficiant homines post adhibitam in venatione & curatione infirmi debitam diligentiam, non teneri aliquid restituere, non enim peccantur peccato iniustitiæ & homicidij, ergo non tenentur ad restitutionem.

2. Idem dicendum est secundum Lessium de occiso. Infra in Ref. que hic est supra 68. re mariti, qui inuadit adulterum, vt infra videmus. Et hæc doctrina applicanda est etiam conuicatori, qui alterum conuictio incitauit ad se inuadendum, & illum postea occidit, cum moderamine tamen inculcata tutela, nam non tenebitur aliquid restituere. Etenim conuictum non est via ad occisionem læsi, sed potius conuictoris; quicquid in contrarium asserat Nauarrus in *man. c. 1. n. 7*. qui malè pro se citat Caietanum; nam ibi Caietanus loquitur de eo, qui dat operam rei

Infra in Ref. que hic est supra 68.